

ret Volumen jam enunciatum, Caesenae impressum, et insuper aliud ab Horatio Christiano compositum, sub titulo *Praxis pontificalis pro majori hebdomada, Bonon.* 1680. in quo per extensum tota haec functio pontificalis exposita est, quae cum magis pertineat ad Pontificale, seu caeremoniale Episcoporum, quam ad Rituale Romanum, studiose hic a me praetermittitur: nihil enim ad Parochos pertinet. Quod animadvertens Benedictus XIII. talem sejunctam formulam, et ritum ab Episcopis servandum, in Pontificale Romano inserendum mandavit.

§. V. Si autem Pontifex quempiam a Presbytero jam catechizatum, tantum baptizare voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, postquam ad Baptistarium deventum fuerit, dicens, Quo nomine, etc.

15 16 Unum tantummodo hic superaddam, quod ad rem valde facere credidi, nempe incongruum esse, et inconveniens fieri hunc Baptismum extra locum Fontis Baptismalis. Vidi olim in quadam Ecclesia Cathedrali, omnia, et singula parata pro administrando Baptismo ab eminentissimo Cardinali: sed quod contra Ritus mihi visum fuit, erat mensa quaedam parata ante Altare majus, supra quam Pelvis erat cum Aqua baptismali a fonte extracta, qua baptizandus erat quidam Catechumenus a Presbytero jam catechizatus. Accessit debito tempore baptizandus, et illum Episcopus (factis debitis, et praescriptis interrogationibus) abluit sedens cum mitra, ad mensam ut supra paratam ante Altare sub Baldachino. Hujus Ritus inversio nonnullis displicuit, quia licet Minister esset Cardinalis, attamen dignitati, et Eminentiae suae nulla irreverentia, seu nullum incommodum inferebatur, accedendo ad Fontem Baptismalem, ut a Rubrica praescribitur, quae clare loquitur his praecipuis verbis, *Postquam ad Baptistarium deventum fuerit, etc.* Nec quod sciam, Caeremoniale Episcoporum, seu, Pontificale Romanum dispensat ab hujus Ritus observantia, quam optime callere deberent Sacrarum Caeremoniarum Magistri. Nec obstat Resolutio S. Congregat. Rit. a me allata ad Titulum: *De tempore, et loco ministrandi Baptismi*, §. 3. quia ibi sermo est de baptizandis Filiis Baronum, non vero de adultis, ut in praesenti casu.

BENEDICTIO

FONTIS BAPTISMI

EXTRA SABBATUM PASCHAE, ET PENTECOSTES, CUM AQUA CONSECRATA
NON HABETUR

TITULUS DECIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Fons Baptismi non est essenziale constitutum Ecclesiae Parochialis.
- 2 Fons Baptismi omni munditie debet nitere.
- 3 Si Aqua corrupta fuerit, renovatur.
- 4 Aqua semper faeces deponit, et majores si fuerit putrida.
- 5 Fons mundandus est ob venerationem.
- 6 Aqua Baptismi quare sit consecranda?
- 7 Aqua consecrata sordes peccatorum diluit.
- 8 Ministri necessarii in hac Benedictione.
- 9 Altare in Baptistario optime aedificatur.
- 10 Altare Baptistarii Sancto Joan Baptistae dedicandum est.
- 11 Litaniam ordinariam, seu majorem quatenam sit.
- 12 Litaniam abbreviatam dicitur in Sabbato Sancto.
- 13 Litaniarum mysterium, et significatio.
- 14 Symbolum Fidei, et Oratio Dominica quare dicantur sub silentio?
- 15 Cur dictae Orationes recitentur palam in Benedictione Fontis.
- 16 Aqua dividitur tota manu, non digitis.
- 17 Aquae Benedictae modica effusio fieri debet.
- 18 Partes Orbis Terrarum quatenam sint.
- 19 Insufflatio in Aquam cur fiat?
- 20 Y littera quidnam vere sit, et quodnam mysterium in se contineat.
- 21 Littera Pythagorica, et ejus Symbola.
- 22 Olei sanctificatio facit Fontem sanctificatum.
- 23 Olei immixtio faciendae manu non insufflatione.

1 2 Quamvis Fons Baptismalis non sit essenziale constitutum Ecclesiae Parochialis, eo quia bene stare simul possunt
Com. P. 23.

quod aliqua Ecclesia sit vere, et proprie Parochialis, et Fontem Baptismalem non habeat, ut observat in Urbe Pignatell. *cons. 3. num. 13. in fine tom. 4.* posito tamen quod in Ecclesia adsit Fons Baptismalis, indicium certum est, hanc esse Parochialem; et pro usu quotidiano habere talem fontem qui debet esse interius, exteriusque omni munditie nitens. Quare

§. I. Primum lavatur, et mundatur Vas Baptisterii, deinde limpida Aqua repletur.

3 In Rubrica jam a novis explicata superius ad Tit. *de materia Baptismi*, §. 4. praescribitur, quod si Aqua corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit: *Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem Aquam infundat, eadem benedicat ex formula, quae infra praescribitur.* Haec itaque est formula illuc indicata, quae ponitur ultima inter res ad Baptismum spectantes in Rituali nostro. Sed cum de hac nonnulla, et quidem doctissime scripserit eximius Gavantus, pauca a nobis dicenda remanent, quae brevissimis adnotationibus expeditimus,

4 5 Lavatur igitur, et mundatur Vas: nam semper Aqua etiam purissima faeces deponit: ideo purificandus est Vas, ut Aqua pura, et nitida impleatur, et multo magis id fieri debet, quando Aqua antecederet consecrata corrupta fuerit, quia hujusmodi corruptio multas faeces producit. Quaecumque causa sit, semper mundari debet fons, saltem ob venerationem, et dignitatem novae consecrationes habendae.

6 7 Aqua ista debet esse naturalis, et cujuscumque fontis, vel fluvii, vel putei sit, vel similis originis, ut diximus in *Rubric. 2. Titul. de mat. Bapt.* §. 1. quae ideo consecratur ut intelligamus, Aquam non ex sui natura, sed ex Divina institutione, et virtute; sordes peccatorum abluere, ut eo pacto, quo sordes corporum mundantur Aqua naturali, ita per Baptismum peccata Animae purificentur.

§. II. Tum Sacerdos cum suis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, cruce, et duobus ceres praecedentibus, ac thuribulo, et incenso, et cum Vasculis Chrismatis, et Olei Catechumenorum descendit ad fontem, et ibi, vel ante Altare Baptisterii dicit Litaniam ordinariam, etc.

8 Ministri sunt necessarii; nam quamvis haec Benedictio non sit solemnissima, attamen debet fieri cum omni decentia, et proprietate: ideoque esse debent diversi, tum Clerici, tum Ministri, qui deferant res necessarias, et in functione adhibendas.

9 10 Supponit pro majori ornato Rubrica, adesse Altare in Baptisterio, quod, ut alibi diximus, extra Ecclesiam aedificatum sit, per allegat. a Cavaler. *Rett. Ecol. t. 8. n. 2.* qui vult hujusmodi Altare S. Joan. Baptistae dicatum.

11 Litania ordinaria est illa, quae vocatur major, seu omnium Sanctorum, ut dicemus suo loco, post Psalmos Poenitentiales, qua occasione de ejus etymologia, et origine tractabimus.

§. III. Potest etiam dici Litania brevior ut in Missali in Sabbato Sancto.

12 13 Si Litania abbreviata praescribitur in Sabbato Sancto, consonum videtur, ut quoque in fontis benedictione privata recitetur potius quam Litania major. Quaecumque sit quae recitetur, significat consortium Sanctorum cum baptizandis, seu nuper baptizatis, Gavant. *t. 1 p. 4. tit. 10. n. 30.* Christian. *Prax. Pont. sect. 5. cap. 8. myst. exp. lit. A.*

§. IV. Sacerdos dicat, *Pater noster, et Credo in Deum*, omnia clara voce.

14 15 Quandoque tam Symbolum Apostolorum, quam Oratio Dominica recitantur sub silentio in divinis Officiis; quandoque alta voce dicuntur. Ratio tacitae recitationis affertur a Gavant. *tit. 10. p. 2. de Orat. Dom.* et a Corsett, *Ind. Rat.* Ratio vero cur hic recitetur clara voce est, ut Infideles purgentur a vitio infidelitatis, Corsetta. *ib.* cui addo aliam rationem, et est, quia cum recitentur ob consecrandum Fontem Baptismi, necesse est ut palam, ei publice innotescant articuli Fidei, et petitiones, seu supplicationes fidelium contentae in Oratione Dominica.

§. V. Hic manu Aquam dividat, et deinde de ea effundat extra marginem fontis, versus quatuor Orbis partes, prosequens.

16 17 Dividitur aqua, tota manu, non digitis tantum, ita praescribente Rubrica. quae dicit *manu*, non *digitis*. Modica effusio debet esse, et non ampla, adeo ut non fiat in terra magna lacinia. Divisio facienda est per modum Crucis, et simili modo effusio ad quatuor Orbis partes Orientem, Occidentem, Meridiem, et Septentrionem, ad significandam universalitatem Baptismi per totius Orbis partes diffusi, et per hoc recitatur *Credo, et Pater noster* alta voce, tamquam si ad singulas Orbis partes vox ista pervenire deberet.

§. VI. Tunc sufflet ter in Aquam versus tres partes, secundum hanc figuram Y, deinde imponit incensum in thuribulo, et fontem incensat, etc.

19 20 21 Figura hujus insufflationis per aliquot sit ad modum litterae Graecae Y Ipsilon; per alios litterae Psi; per alios demum ad instar Crucis dempta hasta inferiori sic T, et quamvis in prioribus duabus figuris aliquod misterium inclusum esse possit, cum hujusmodi litterae multas mysticas significationes apud Graecos habeant, juxta interpretationem Pierii Valeriani, et Vigili, qui de littera Pythagorae scribens dicit, quod haec: *Humanae vitae speciem praeferre videtur*, et in praesenti casu agitur de initio vitae spiritualis per Baptismum incipiendae: attamen tertiam figuram amplector, tum quia Rubrica dicit expresse: *Secundum hanc figuram*, et si esset littera Graeca dixisset *secundum hanc litteram*; tum quia de sua significatione loquens Gavantus de *Sabbato Sancto*, t. 10. num. 26. dicit fieri hanc figuram per insufflationem, ut cum Cruce Trinitas jungatur, a qua Baptismus majorem vim habet, et de facto figura tres habens hastas. Trinitati potest aliquo modo assimilari. Vide fusius Sixt. Senen, *Bibliot. Sanct. T. 1. l. 3. f. 268*.

Incensatio ista licet in solempni fontis Benedictione, non habeatur attamen pro inutili, et supervacanea habenda non est. Fit enim (ut puto) loco infusionis Cerei paschalis, qui hic non habetur: atque ut eo pacto quo in solempni Benedictione dictus cereus cum quinque granis incensi benedicti infunditur in aqua, ita in hac quoque benedictione aliquo modo incensum benedictum operetur saltem per Fumi suffitum, et sui effusionem, ad hoc ut habeatur illa significatio de qua sermo erit tit. 44. n. 42. et seqq.

§. VII. Postea accipit ambas ampullas dicti Olei Sanc-

ti, et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit, etc.

22 Sanctificatio Olei sanctificatum facit Fontem: ideo fit infusio utriusque Olei in Aqua, eo quia dupliciter sanctificatur, Gavant. *ibid.*

Caetera de istis Oleis, eorumque significatione habes in hoc Volumine *ad Tit. de Sacris Oleis*, in principio, quae hic repetere minime juvat.

§. VIII. Tum deposita Ampulla, dextera manu Oleum Sanctum, et Chrisma infusum miscet cum Aqua, et spargit per totum Fontem, etc.

23 Non quia Oleum immisceri possit cum aqua, hoc fit; sed ut quantum fieri potest, per totum Vas dilatetur: ideo manu utitur Sacerdos, ut validius hoc fiat; insufflatio enim hoc facere non valet, sed manus per gyrum ducta, et circumducta, majorem habet vim. Fit haec immixtio, quia fideles populi per Aquam significati in Baptismo uniuntur et incorporantur Christo per Chrisma, et Oleum figurato, *Quart de Bened. Eccl. t. 2. sect. 7. prael. 2.*

Plura, et quidem magistraliter scripta habebis de Consecrat Oleorum, et de Sacris Ritibus, tunc adhibendis, apud Pignatell. *T. 6. Cons. 41. per tot.*